



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

XVII. An in Missa sit facienda oblatio pro viuis & mortuis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

AD XVII. ARTICVLVM.

AN IN MISSA SIT FACIENDA
Oblatio pro uiuis & mortuis?

RESPONDEO. Non esse institutam oblationem corporis & sanguinis Christi, faciendam per Sacrificulos pro uiuis & mortuis, sed sumtionem & recordationem publicam & priuatam. Hæc nihil ad mortuos pertinent, ideo manifesta profanatio est, fingere oblationem pro mortuis. Ac uetus Ecclesia propinqua temporibus Apostolorum, nec Purgatorium, nec Sacrificia pro mortuis nouit. Et dissimilitudo est Canonum Missæ etiam apud ipsos Græcos. Quod uero interdum nomine Oblationis aut Sacrificij uetustas utitur, intelligit totam actionem, inuocationem & gratiarum actionem adiunctam sumtioni. Hæc recte dici Sacrificia non dubium est.

AD XVIII. ARTICVLVM.

AN CONSECRATIO SACRAMENTI
ualeat facta per non ordinatos ab Episcopis?

RESPONDEO perspicue. Ordinationem ministrorum Euangelij iustam esse in Ecclesijs nostris, iuxta dicta Pauli, ad Timotheum. Constituas in urbibus Presbyteros, sicut ordinaui. Et ad Timotheum. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui sunt idonei ad docendos alios. Nec dubium est, Filium Dei & conseruatorem esse ministerij Euangelici, & in ministerio efficacem esse, ubicunque est cœtus recte docens Euangelium, iuxta dictum: Sedet ad dexteram aterni patris, dans dona hominibus, Pastores & Doctores. Et Ioannis 17. Ego sum uitis, uos palmites, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum copiosum. Hæc tota concio utrunque confirmat: & solum hunc cœtum esse Ecclesiam Dei, in quo uox Euangelij est incorrupta: & in eo cœtu adesse filium Dei, & ibi efficacem esse. Et quidem corda piorum, quæ ueras consolationes sentiunt; testantur filium Dei in ministerio Ecclesiarum nostrarum efficacem esse, iuxta hæc dicta: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, clamantem Abba pater. Item: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino. Item: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Iustificati de pace habemus apud Deum. Tenebant partem ministerij Pontifices & Pharisei in Iudæa per tyrannidem, uidelicet Circumcisionem. Doctrinam uero & sacrificia corrumpebant. Inter ea uero Deus, efficax erat uoce doctrinæ, quam sonabat uera Ecclesia, Zacharias, Simeon, Elisabeth, Anna, Maria, & similes. Ita nunc Pontificij retinent Baptismum, Doctrinam uero & cœnam Domini horribiliter